Linguam Gallicam callet, cum exercitu nostro ante menses quatuor à Magistratu in Gallias missus est, ut ibi castrensem Concionatorem agat. Nihil dum intelligere potui, quando istius expeditionis finis futurus sit. Rerum novarum hic nihil habemus quod scriptione dignum sit, nisi quod Veneti foedus cum Tigurinis et Bernensibus inire satagunt eamque ob causam legatum superioribus diebus huc miserunt. Benè et feliciter vale, reverende et clarissime vir, Dñe et frater mihi summa fide et pietate semper colende. Dabam Lutzelflüae 6. idus Julij 1614.

188. Celeberrimo D. Pareo Lubbertus S. P.

Tuae postremae literae, qui aliae ad Balthasarum Lydium adjunctae erant, fuerant longo tempore in itinere, collapsae fuerant in aquam, et erant miserè foedatae, cum ad manus meas pervenirent. Ego ab eo tempore tibi ter scripsi, sed quia nihil respondes, metuo, ut ad te pervenerint. Mihi certamina et hostes crescunt; Etiam Hugo Grotius in me irruit, quid ego illi responderim, ex adjuncto libro videbis. Rogo te, mi Paree, ut eum legere, et cum vacat, tuum judicium de eo ad me perscribere velis. Statui, si ulla ratione possum, has lites à me removere, et Bellarmini refutationes retexere, ut priusquam hinc abeam, illas Ecclesiae offerre possim. Aquisgranum periit. Metuimus Wesaliae, Juliaco et Embdae, si hostis haec loca aggredietur, relabemur in difficile et laboriosum bellum. Deus protegat Lionem et eripiat nos ab omni malo. Vale Franekerae die 23. Aug. 1614.